

N. L.

62

L.

2



2562

*Shubert's etc. etc.*



5-5-5

INCENDIVM

ANIMÆ

SIVE

ABBREVIATVM

verbum misericor-  
diarum Dei.

*Authore Archidiacono Fer-  
dinando Ximenes de Ara-  
gone in Iurè Canonico  
olim graduato.*

---

OLYSIPPONE.

*Cum facultate superiorum.*

Apud Petrum Ciacbeeck  
Typographum Regium.

Anno 1630.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



8562

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

*Approbatio.*

**D**E mandato Illustrissimi  
Consilij Generalis San  
Ae Inquisitionis vidi & ex-  
pendi libellum istum, quem  
totum aureum, & valde pre-  
tiosum iudicaui, cui Author  
est Archidiaconus Ferdinan-  
dus Ximenes de Aragona,  
vir litteris non minusque vir-  
tutibus in nostro Lusitaniae  
Regno satis cognitus: Titulus  
libelli, Incendium Animae,  
conueniens Assumpto, in  
quo Author deuotioni Chri-  
stianae, ac professioni nostrae  
fidei profundissimam Theo-  
logiam scholasticam & posi-  
tiuam, breui compendio, sed

ficio singulari, cum speciali  
claritate adiunxit: in quo &  
ingenij dexteritatē ostēdit, &  
longam contemplandi mate-  
riā bonis ingenijs, ac pijs sup-  
peditavit. Dignus est, ut præ-  
manibus à doctis pariter, ac  
minus sapientibus habeatur,  
quò nomen (incēdium enim  
Animæ dicitur) effectui ab Au-  
thore intento, concinnē con-  
gruat: maneatq; pius lector di-  
vinis hisce contemplationib9  
utiliter in diuino amore sui  
Creatoris inflāmat. Proin-  
deque dignus etiā est, ut præli-  
honore publicē decoretur.  
Vlyssippone apud Prædicato-  
res, 20. Septembris. 1630.

Fr. Thomas de S. Dominico Magist.

## Approbatio.

**P**raedi hunc libellum,  
cuius titulus est, *Inces-  
dium Anima*, siue abbrevia-  
tum verbum misericordia-  
rum Dei, editum à Ferdi-  
nando Ximenes de Arago-  
ne Archidiacono S<sup>an</sup>ctae Chri-  
stinae Primatialis Ecclesiae  
Bracharensis in iure Cano-  
nico quondam graduato: in  
quo nihil sacrosanctae fidei  
Catholicae, aut bonis meri-  
tus dissonum reperi; pluri-  
ma vero, quae opus ipsam,  
veluti arcum peristroma,

ex viriſq; teſtamenti ſen-  
tentijs, tanquam gōmis, mar-  
garitiſq; pretioſiſſimis con-  
textum; eiſq; autoris ſapien-  
tiam, eruditionem, miramq;  
pietatem maxime commen-  
dant, ideoq; digniſſimum  
censeo quod typis excudatur  
Vlyſipone in Domo D. Ro-  
chi Societatis I E S V, 27.  
Septembris Anno 1630.

Doct̃or Georgius Cebrah.

*Licença do S. Officio.*

**V**istas as informações po-  
de-se imprimir este Trata-  
do cujo titulo he Incendiũ  
Animæ, & depois de impresso  
torne conferido com seu ori-  
ginal para se dar licença para  
copper, & sem ella não corre-  
ra. Lisboa. 1. de Setembro de  
1630.

G. Pereira. D. Miguel de Castro.

Frãcis. Barreto. Fr. Ant. de Sousa

*Licença do Ordinario.*

**D**ou licença pera  
se poder imprimir este Trata-  
do intitulado *Incendium*  
*Anime, siue abbreviatum*  
*verbum misericordiarũ Dei,*  
composto pello Arce-  
diago Fernãõ Ximenes  
de Afagaõ. Lisboa 16,  
de Outubro de 1630.

*Ioão Bezerra Iacome*  
*Chantre de Lisboa.*

*Licença da Mesa do Paço.*

**Q**ue se possa imprimir, vistas as licenças do Sancto Officio & Ordinario: & não correrá sem primeiro tornar a esta Mesa pera se taxar. Lisboa 17. de Outubro 630.

*Araujo, Barreto, Pimenta Dabreu.*

**E**stá conforme com o ori-  
ginal.

*Fr. Thomas de S. Domingos  
Magister.*

**T**axase este liuro em trin-  
ta reis. Em Lisboa 23. de  
Outubro de 1630.

*Cabral.*

*Salazar.*

*Barreto.*

*Pimenta Dabrea.*

### *Erratas.*

**F**OL. 8. dilige Deum, dilige Domi-  
num Iesum. Fol. 9. & curans  
videns, videns & curans. 31. & to-  
tius, etiam totius. 35. cuius, curis.  
38. assumant, assummat. 70. inspi-  
rationis diuina, inspiratione diuina.  
77. reddat, reddet. 91. vnam, vnum.  
200. omnipotentia, omnipotentiz.

ILLVSTRISSIMO  
Ac Reuerendissimo  
Domino D. Francisco  
à Castro Episcopo Egi-  
tanensi, Portugaliæ &  
totius Lusitanæ Co-  
ronæ Generali  
Inquisito-

ri.



*Incendit Ani-  
ma, misericor-  
dias Patris mi-  
sericordiarum  
sele-*

## Dedicatoria.

celebrare gestientis; pristinae  
debitaeq; meae seruitutis ar-  
gumentum, tibi offero Prae-  
sul Amplissime; Confidens  
quod, opus percurrere non  
tibi ingratum quinimo sicut  
nomen & operis assumptum;  
ita ipsum opus, caelestibus  
irrores benedictionibus.

Itaque animum tuo manci-  
patum nutui, mundumque  
hoc diuini amoris incendio  
venonare desiderantem, &  
sacramentem suscipe. Deus  
Opt. Max. Illustrissimè Prae

sal

Dedicatoria.

pro Amplitudinem tuam in  
sua sancta Ecclesia incolu-  
mem per multa secula seruet.

Olysiptone Kalendis Octobris  
1630.

Tuae Illustrissimae Amplitu-  
dinis servus

Archidiaconus Ferdinãa<sup>9</sup>

Ximenes de Aragonne.

PRO-

# PROLOGVS.

**A**ngustijs varijs  
animæ, & spi-  
ritus circunda-  
tus in hac miserrima vi-  
ta, in simplicitate cor-  
dis mei obtuli me holo-  
caustum Domino Iesu:  
sine intermissione cla-  
mans & dicens, Bone  
Iesu doce me facere vo-  
luntaiem tuam quoniã  
Deus meus es tu; hoc  
verbum quasi semen,  
in sterili cordis mei a-  
gro

*Prólogo.*

gro absconditum protu-  
lit quatuor orationes;  
qua in principio tracta-  
tus positas, vocavi illas  
quadruplex speculum  
Animæ: & sunt in my-  
stica, & positiua Theo-  
logia, tamquam quidã  
numeri, seu figure arith-  
meticæ; quæ mentis o-  
culis oppositæ, diuinæ  
fidei mysteriorum sub-  
stantiam, illi repræsen-  
tant: obiectæq; fidem  
adaugent, spem viuifi-  
cant

*Prologo.*

cant & corroborant,  
charitatem incendunt:  
& ecce operis assump-  
tum, fundamentum,  
materia: & ecce opus  
constructum; totum in  
laudem Domini Iesu:  
qui facit mirabilia, quo-  
rum non est numerus:  
fit nomen eius benedi-  
ctum in secula. Amen.

INCEN-

DIUM ANIMÆ,

siue

ABBREVIATVM

verbum miseri-

cordiarum

Dei.



GNEM veni  
mittere in ter-  
ram : & quid  
volo nisi vt ac-  
cendatur ? O

A

ver-

## 2. *Incendium Animæ.*

verbum vivum & efficax; & penetrabilius omni gladio accipiti: pertingensque usque ad diuisionem animæ & spiritus: quod locutus est Dominus Iesus cum adhuc in mundo esset: Si igitur, o dilecta, scire desideras quis sit iste ignis quem de Cœlis ad terram diuinus Pater traxit: & quo mundum conflagrare desiderat: si hoc cœlesti incendio exardere cupis: sciens nihil tibi magis expedire, quàm hanc Domini tui voluntatē inte adimpleri: scito hunc ignem desiderium esse beatificæ visionis Dei. Quo pacto

au-

autem in humano corde gignatur? Fide: fides autem quid credat? Deum propter homines, hominem factum; crucifixum: & à mortuis suscitatum. Hoc est inysterium fidei & nō aliud, quod diuinum illum excitat ignem, quo Redemptor mundi, mundum defidio renouare desiderat: hoc igne accensi sunt omnes quot quot salui facti sunt: & hoc igne oportet vt ardeas, si æternam vitam consequi exoptas. Docebo ergo te breuem planam & suauem viam vberri-  
mos huius diuinæ fidei fructus colligendi. Hæc est maxi-

morum erga te Dei beneficio  
rum iugis recordatio . Non  
enim fieri potest, vt prouidēs  
in conspectu tuo semper im-  
mensa beneficia à Deo tuo  
accepta, & alia multo maio-  
ra, & sine fine in æterna vita  
duratura tibi præstanda: non  
in perpetua gratiarum actio-  
ne coram Deo tuo maneat &  
tam incomprehensibilis boni  
desiderio non exardescas .  
Accipe itaque ô electa qua-  
druplex Speculum diuinorū  
in te munerum, in paradiso  
Domini, id est, sacrae scriptu-  
rae libris constructum, in cu-  
ius lumine vultum suum sin-  
gulis

*Incendium Animæ.* §

gulis momentis considerans: agnoscentque peccatorum & affectuum vincula quibus impeditis ne diuino amore incendaris iugiterque vt teneris liquefias: à longe stans cū publicano: non audens ad cælum oculos leuare: percutere pectus tuum & clama ad Redemptorem tuum: dicens cū intimo cordis affectu & dolore. Deus propitius esto mihi peccatori. Tunc enim inter lacrimas & suspiria: inter compunctiōnem; & gemitus: inter inefabilem munerum meditationem & orationem, in conspectu agni ab origine

6 *Orjendium Anima?*

mundi occisi ; effusam ; luci-  
dissimum fidei ver , spei &  
charitatis tibi aperiri scito &  
ipse pius & misericors pater  
dicet tibi: ecce adsum: confi-  
de filia salus tua ego sum :  
accede ad me & illuminare,  
& facies tua non confunde-  
tur.

*Quadruplex anima  
speculum.*

**C**VM animum meū mag-  
nis conuerti fluctibus cer-  
netem : & terrores mei con-  
turbarent & terrerent me :  
concaluit cor meū intra me,  
&

& iu meditatione mea exarsit  
ignis; exercitabar, & scopebā  
spiritum meum. dicens ani-  
mæ meæ. nunquid in æternū  
proijciet Deus? Aut non ap-  
ponet vt complacitior sit ad-  
huc? Aut in finem misericor-  
diam suam abscindet à gene-  
ratione in generationem? qui  
proprio filio suo non pepe-  
rijt; sed pro nobis omnibus  
tradidit illum, obliuiscetur  
misereri Deus? aut continebit  
in ira sua misericordias suas?  
his circumdatus eram angū-  
stijs: & vita mea erat appro-  
pinquans iuferno: & ecce vo-  
cem quasi auræ lenis audiui.

8 *Invidiosa Anima.*

Accipe speculum & contem-  
plare illud. Et accepi speculũ  
de manu porrigentis, & con-  
templatus sum illud: & erat  
speculum quadruplex habēs  
quatuor lumina. Lumen pri-  
mum creationis. Lumen se-  
cundum Redemptionis. Lu-  
men tertium justificationis.  
Lumen quartum glorificatio-  
nis. Et dixit mihi, qui loque-  
batur. Pone speculum coram  
oculis tuis, & recta acie con-  
templare illud, & habebis  
coronam vitæ; & ego dixi illi. :  
Quomodo hoc ego possum  
facere nisi mihi datum fuerit  
de super. At ille. Dilige Dominum  
*Tesum &*

*Incendium Animi.* 9

& ambula coram illo: & ipse diliget te, & diriget omnes vias tuas. Audiui & lætatus sum; sed non ita vt non in multo timore & tremore vita spiritus mei super terrã.

*Speculum creationis.*

**B**one Iesu doce me, face-  
re voluntatem tuam, quo-  
niam tu es Deus meus <sup>videns</sup> con-  
stita & curans ~~videns~~: Domi-  
nus meus mundum terrenum:  
creator meus visibilia omnia  
& inuisibilia de nihilo produ-  
cens, conseruator meus, Rex,  
meus, amantissimus pater  
meus.

meus qui humanum genus  
 pascis, regis & in sinu portas:  
 existens essentialiter omne  
 bonum quod desiderat ani-  
 ma mea: & cuius tantum cla-  
 ra visio me potest beatum  
 reddere: tempus est Domine  
 vt commendetur terræ cor-  
 pus meum, terraque reuertat-  
 tur in terram suam & spiritus  
 ad te, qui dedisti illum. Et  
 nunc Domine non intes in  
 iudicium cum seruo tuo, quia  
 non iustificabitur in conspe-  
 ctu tuo omnis viuens. Domi-  
 ne ne memineris iniquitatū  
 mearum, & non secundum  
 peccata mea facias mihi, neq;  
 se-

cundum iniquitates meas re-  
tribuas mihi; sed secundum  
multitudinem misericordiae  
nominis tui libera me & fa-  
mulo tuo subueni quem pre-  
cioso sanguine redemisti, &  
præcipe recipi in pace spiritum  
meum, & ad tuam magnam  
misericordiam peruenire: qui  
viuis & regnas cum Deo Pa-  
tre in vnitate Spiritus Sancti  
Deus per omnia sæcula sæcu-  
lorum. Amen.

*Speculum redemptionis.*

**B**one Iesu doce me facere  
voluntatem tuam quoniam

tu es Redemptor meus, me  
 tuo sanguine emundans: san-  
 ctificator meus me tuis meri-  
 tit & gratia præueniens: Ma-  
 gister meus me vera sapientia  
 illuminās: Dux meus me tuæ  
 sanctissimæ vitæ exemplari in  
 præsentis seculi tenebris diri-  
 gens: qui viuis & regnas, &c.

*Speculum iustificationis.*

**B**one Iesu doce me face-  
 re voluntatem tuam, quo-  
 niam tu es spes mea, me tua  
 misericordia erigens: refu-  
 gium meum, me tua clemen-  
 tia protegens: fortitudo mea,  
 me

me tua benignitate confor-  
tans: charitas mea, diuinum  
in corde meo excitans incen-  
dium adoremque concupis-  
cētiae extinguēs: iustitia mea,  
inestimabili tuæ mortis pre-  
tio me justificans, & ab æter-  
na morte redimens: pax mea,  
me tibi in te concilians & pa-  
cificans: Gaudium meum me  
in memoriali tuo & illumina-  
tione vultus tui adimplens;  
& mundi fastidium generās:  
qui viuis & regnas, &c.

*Speculum glorificationis.*

**B**One Iesu doce me face-  
re

re voluntatem tuam, quoniã  
 tu es remunerator meus, me  
 admirabili tuæ cælestis beati-  
 tudinis præmio clarificans:  
 vita mea, me in æternum vi-  
 uificans & resuscitans: gloria  
 mea, me immenso & æterno  
 voluptatis tuæ torrente po-  
 tans, & inebrians: satietas  
 mea, me ex omni parte in æ-  
 ternum reficiens: Ecce Do-  
 mine omnes dies mei transie-  
 runt, & in dolore vita mea  
 consumpta est, & anni mei in  
 gemitibus; omnisq; spes mea  
 in te tantum posita est: inue-  
 niat per misericordiam tuam  
 anima mea gratiam tuam,  
 qua

qua te vere diligat, te vere  
sitiat, te vere desideret, & in  
tuo semper amore ardens per  
seueret, vt tuo aduentu secu-  
ra & læta consistat & à te sus-  
cipi, & te sequi, & à te in æ-  
terna tua gaudia cum tuis ele-  
ctis mereatur introduci: qui  
viuis & regnas, &c.

*SPECVLATIO QVA-  
druplicis Animæ speculi.*

**V**T scias anima mea dig-  
nitatem tuam, & quo-  
modo oporteat te ambulare,  
& conuersari in Domo Do-  
mini tui: vt Dominum Deum  
tuu

tuum nomine agnoscas, & virtutem nominum eius intelligas: vt immensa ab ipso in te collata beneficia discernas aliaq; multo maiora tibi præstanda intuearis: vt Domino Deo tuo interim dum in hoc breui vitæ spatio visibilis appares, debitam gratiarum actionem exhibere noueris: ecce in exigua tabella, multa, magnaque tibi proposita mysteria circa tuam creationem, & conseruationem tuam redemptionem & iustificationem tuam denique consummationem & glorificationem: vt singulis horis, singulisque

*Incendium Animi.* 17

momentis, quasi per speculū  
& inænigmate (iuxta inditam  
tibi à Deo virtutem ) omne  
bonum, omneque verum si-  
mul agnoscas, appetas, & ali-  
quo modo comprehendas :  
vt reuelata facie gloriam Do-  
mini tui specularis ; transfor-  
meris à claritate in claritatē,  
tamquam à Domini spiritu :  
& imaginem Creatoris, & Re-  
demptoris tui secundum exē-  
plar quod tibi in monte mon-  
stratum est renouans , & de  
die in diem perficiens in San-  
cta Sanctorum cum Christo  
vero Pontifice perenniter in  
caelis regnatura introeas : qui


B

est

est super omnia benedictus  
Deus in secula.

## C O N S I D E R A T I O

*in primū Speculum, quod  
est creationis.*



**I**N hoc primo natu-  
ræ speculo habes  
anima mea, quæ  
confideres septem  
nomina Dei tui, quæ illi ut  
naturæ auctori tribuis: quæ  
sunt Deus, Dominus, Crea-  
tor, Conseruator, Rex, Pater,  
Omne bonum: per quæ quasi  
in ænigmate multifariã, mul-  
tisque

risque modis videas infinitatem Dei tui, in eiusque consideratione diuiniis replearis delectationibus.

*De Primo nomine Dei Creatoris quod est Deus.*

**A** Gentes igitur de primo nomine Domini Dei tui quod est Deus. Considera anima mea, quod hoc nomē, Deus, quod Græce dicitur, *Teos*, quod est videre cum cura, seu prouidere; Deo tributum fuit ab hominibus, quando ex primo mentis intuitu oculos cordis ad cælum leuā

res: videntesque cum Prophe-  
 ta plenos cælos, & terram ma-  
 iestatis gloriæ auctoris sui,  
 omnia videntis, omnia mo-  
 uentis, omnia gubernantis,  
 clamare cæperunt cum Agar.  
 Tu Deus, qui vides me; & sig-  
 nare locum nomine: dicen-  
 tes; puteus videntis me; fons  
 aquæ viuæ salientis in vitam  
 æternam; quem misericordia  
 Dei mei aperuit in corde  
 meo: & protestari: hic vidi  
 posteriora videntis me: poste-  
 riora enim Dei, est ista mun-  
 di species & pulchritudo quâ  
 cernimus: facies vero Dei, ip-  
 sa natura diuina quam nemo  
 vidit

vidit vnquam in hac vita nisi  
ex priuilegio cuius clara &  
beatifica visio fidelibus in cæ  
lo promittitur. Cum autem  
animus noster ex visibilibus  
istis nouit ad Deum ascende-  
re, & in Dei certa cognitione  
cor stabilire: tunc protestatur  
dicens, hic vidi posteriora vi-  
dentis me: & ascendens in  
montem cum fideli Abrahâ:  
cernensque Deum, omnia no-  
stra considerantem, & remu-  
nerantem prorumpēs clamat  
Dominus videt.

Quanta igitur reuerentia  
debes anima mea ambulare  
coram Deo tuo, videns ipsam

22 *Speculum primum.*

vbique te videntem: cogitationes tuas intelligentem, semitas tuas inuestigantem, vt fidelitatem tuam sempiternis afficiat muneribus? Quo illū amore prosequi, qui tibi oculos aperuit, vt ipsum totius boni fontem te aspicientem, aspiceres? Sine cuius lumine, tota in peccatorum tuorum tenebris & horrore obcæcata, in æternum peritura iaceres.

*De secundo nomine Dei Creatoris quod est, Dominus.*

**E**x celorum magnitudine, &

& varijs, contrarijsque illorū  
motibus: ex temporum varie  
tate, & contrarietate: ex toni-  
truis, & fulminibus; ex tempe-  
statibus, alijsque metuendis  
effectibus perterriti & obstu-  
pefacti homines secundum  
Deo nomen tribuerunt; ap-  
pellantes illum, Dominum:  
quasi solum in toto orbe tre-  
mendum, & metuendum: ti-  
moris affectum hoc nomine  
magis, quam alium indicare  
volentes. Sic in latione legis  
fumabat mons Sinay, soni-  
tusque buccinæ, & clangor  
audiebatur: eratque mons ter-  
ribilis dixitque Moyses ad po-

pulum. Vt terra Domini es-  
 set in vobis, & non peccare-  
 ris, descendit Dominus in ig-  
 ne: similique compunctus af-  
 fectu David, exclamavit, mag-  
 nus Dominus, & laudabilis  
 nimis: terribilis est, super om-  
 nes Deos: sic veteris & noui  
 testamenti pagina incessanter  
 nobis proclamat vt tempore  
 incolatus nostri in timore &  
 tremore Domini sit nostra  
 conuersatio.

Paue igitur anima mea ad  
 sanctuarium Domini Dei tui  
 quod est mundialis hæc ma-  
 china, & tu in medio illius:  
 soluensque cum Moyse cal-  
 cea:

ceamenta de pedibus tuis: id est inuolucra carnalium cogitationum Et iaculis eius timoris confixa, coram illo asta: omnibus tuis viribus contendens, vsque ad sanguinis effusionem, & denique vsque ad mortem, ne vlllo modo vel leue ipsius mandatum violes: & in manus Dei viuentis incidas. præoculis habens seuerissimum Dei cum Angelis apostatis iudicium propter superbiam à cælorum altitudine, vsque ad inferorum abissos detrufis: Adæ totiusque humani generis, propter pomi transgressionem tremendum

26. *Speculum primum.*

dum supplicium: mundi propter  
carnis corruptionem, dilu-  
uium, & internationem: &  
quod cum alijs comparari nō  
potest, æternum ignem cum  
diabolo & eius sectatoribus  
in perpetuo tenebrarum hor-  
rore peccatores cruciantem.

*De Tertio nomine Dei Crea-  
toris quod est Conditor  
seu Creator.*

**T**ertio loco admirantes  
homines rerum produ-  
ctionem considerantesque tā  
caelestia quam terrestria, vidē-  
tesque

tesque inferiora corpora à superioribus gubernari; differē-  
tiasque & gradus in illis discernentes: & ex imperfectis ad perfecta, & ex visibilibus ad inuisibilia, ascendentes: materialibusque spiritualia facile & sine dubio præponentes: vt mundo, vt tempori, vt loco superiora: auctorem uniuersi, substantiam spiritualissimam, & simplicissimam, infinitæ virtutis, & perfectionis, ab ipsoque mundum de nihilo productū in tempore fuisse statuerunt: sic Pythagoras, sic Socrates, sic Plato, sic asseuerauit omnis qui vere philosophiam

28 *Spirulum primum.*

phiam moribus profectus est. Sic Moyses diuino afflatus spiritu primum sui sermonis verbum intonuit dicens, in principio creauit Deus cælum & terram: quem reliqui Prophe-  
 tæ secuti sunt. Sic diuinus Ioãnes altiore nobis aliam insimul reuelans generationem suam incepit Euangelium dicens. In principio erat verbũ, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quo igitur amore prosequi debes Deum tuum anima mea, qui te de nihilo produxit, te ad

ima

imaginem suam creavit, te di-  
vinæ consortem naturæ esse  
cit : ut eius contemplatione  
amore, & delectationibus fru-  
ereris. Clama igitur anima ad  
Creatorem tuum cum lachry-  
mis & cordis dolore dicens :  
Causa causarum, quæ me de  
nihilò produxisti, & ad imagi-  
nem tuam creasti, miserere mei.  
Sucurre misero, iuva pusillapi-  
mem, refove flebilem, adiuva  
infirmiorem meam. Tu Do-  
mine, qui solus potes, sana me  
& sanabor; saluum me fac &  
salvus ero, quoniam tu Crea-  
tor meus, tu solus laus mea :  
tu solus spes mea es.

*De quarto nomine Dei Creatoris quod est Conseruator.*

**Q**uarto loco Conseruato-  
rem Deum appellamus;  
considerantes Deum vniuersi  
auctorem, celorum ordena-  
tissimos motus disponere: cæ-  
lorum motibus temporum vi-  
cissitudines sapienter ordina-  
re: temporum varietate vege-  
tabilia generare: vegetabilibꝫ  
animantia nutrire; animalibꝫ  
homines operire & pascere;  
sicque homines in Deo, &  
per

per Deum viuere, moueri, & esse secundumque mentem rationis capacein genus esse Dei; quiddam diuinum, magnumque miraculum; sic magnus Paulus Græcam sapientiã inter Græcos exaltans vt illos Christo lucrifaceret Arati eloquia hoc asserentia illis in memoriam reuocat. Considerantes, & totius humanæ vitæ cursum sicut & aliarum rerum à Deo præuisum, ordinatum, & dispositũ ab æterno fuisse, in quo electorum prædestinatio, & reprobatorũ præscientia cõsistit. Considerãtes deniq; rerum conseruationem esse  
quan

quandam continuam illarum  
creationem: non minoremq;  
virtutem ad conseruandum;  
quam ad de nihilo producen-  
dum exigi.

Tot igitur tamque immen-  
sis beneficijs ditata anima mea  
à Domino tuo, qui tibi stupē-  
dam hanc mūdi machinam,  
quam cernis, seruire dedit: vi-  
dens cælos, Solem, Lunam &  
Stellas tibi ministrātes: oues,  
& boues vniuersas insuper &  
pecora campi, volucres cæli,  
& pisces maris, qui perambu-  
lant semitas maris, subiecta  
omnia sub pedibus tuis: om-  
nia tuo mancipata seruitio:  
vitamque

vitamque tuam, & conserua-  
tionem ex illorum pendere  
administratione. Benedic Do-  
minum tuum in omni tempo-  
re lauda & superexalta illum  
in secula: & cum tribus Pue-  
ris, ab altitudine cæli, vsque  
ad vltimum terræ, omnia ope-  
ra Domini tui ad laudandum,  
& superexaltandum Deum  
conuoca & inuita.

*De quinto nomine Dei Cree-  
toris quod est Rex.*

**Q**Vinto loco Regem Deū  
appellamus videntes il-  
lum vitam nostram regere:

34 *Speculum primum.*

vniuersamque humani gene-  
 ris Rempub. diuino nutui esse  
 subiectam, Deus in sua hac  
 magna domo disponit omnia  
 secundum suam sapientiam,  
 qua attingit à fine vsque ad  
 finem: dans & auferens Mo-  
 narchias, Imperia, Regna, do-  
 minationes, diuitias, quibus  
 vult, pro vt vult. Primum ho-  
 minem mundi Dominum fe-  
 cit; gloria, & honore corona-  
 uit: & statim eum doloribus,  
 tribulationibus, anxietatibus  
 & curis consummi, & sicut  
 araneam, eius animam tabes-  
 cere permittit. Principatum  
 nunc Caldæis, nunc Persis,  
 nunc

nunc Græcis, nunc Romanis  
tradit: & quod in mundi Mo-  
narchia videmus: disponit su-  
præmus orbis Rex, in Impe-  
rijs, in Regnis, in Ciuitatibus,  
in oppidis, & in omni quod  
hominis est. Dominus est:  
omnia sub illius ditione sunt  
posita: libere agit: nec quisquã  
hominum Deum interrogare  
audet: cur ita facis?

Dilige igitur anima mea  
Deum tuum, qui te regit, te  
gubernat: in cuius ditione  
cuncta tua sunt posita: & licet  
doloribus, laboribus, cuius  
afflicta, & cruciata: gratias ta-  
men summo Regi age: pro

certo habens nihil nostrarum rerum apud summam rationē expers esse rationis : momen-  
taneumque hoc, & leue tribu-  
lationis nostræ, si patienter  
agas æternum gloriæ pondus  
operari in cælis.

*De sexto nomine Dei Crea-  
toris quod est Pater.*

**D**Einde sexto loco patrē  
dicimus Deum: confide-  
rantes Deum, plus hominem  
dilexisse, quam alias omnes  
visibiles creaturas : eumque  
multo amplioribus gratijs &  
prærogatiuis munerasse. Non  
enim

enim satisfuit Deo, hominem  
ad imaginem suam creasse,  
diuinæ naturæ consortem ef-  
fecisse, dans illi mentem ratio-  
nis capacem qua Deum quæ-  
reret cognosceret & contin-  
geret: voluntatemque qua il-  
lum diligeret, & eius amore  
frueretur, mundi Dominum  
constituisse: verum sicut a qui-  
la quæ ad uolandum prouocat  
filios suos, & super eos voli-  
tat, expandit alas suas & por-  
tat in humeris suis: & sicut  
gallina congregans & fouens  
pullos suos sub alas: & tanquã  
pater qui tenellum diligit fi-  
lium: illum in brachijs, & in

38 *Speculum trinum.*

finu portat: & cū quatuor crea-  
turarū gradus in hoc materia-  
li speculo disposuisset: Primū  
corporum, secundum vegeta-  
bilibus; tertium sensibilem.  
Ultimum rationabilem in  
supremo hominem colloca-  
uit.

Cōsidera ergo anima mea  
Dominum Deum tuum post,  
tot, tamque ingentia benefi-  
cia in te collata immenso suæ  
gloriæ thesauro te munerate  
desiderantem, de tua æter-  
na salute sollicitum, vt te  
quem errantem ipse verus pa-  
stor, in suos assumant hume-  
ros & te suo reducens ouili;  
in

in cælestium pascuorum loca deducat.

Igitur anima mea, tot numerum titulis causisq; deuicta, in omni tempore, in omni loco Deum tuum reuerere, Dominum tuum time, Creatorem tuum recognosce, Conservatorem tuum adora, Regem tuum honora, pijsimum Patrem ardenter te amantem, ardenter amare satage: omni virtute tua, & omni mente tua: certa bonum certamen fidei apprehende vitam æternam beatificam visionem Dei; summum bonum cuius præsentia nihil est quod desi-

40 *Speculum primum.*

deres: nihil quod timeas. Cuius absentia, nihil est quod te satiet: nihil quod non timeas.

*De septimo & ultimo nomine Dei Creatoris quod est omne bonum.*

**P**Rima sex nomina Dei tui, anima mea, illi conueniunt relatiue ex creaturis: vltimum per se & essentialiter. Deus enim est, quia mundum cum cura videt: Dominus quia tremendus: Creator quia de nihilo

hilo produxit: Conseruator,  
quia inesse conseruat: Rex,  
quia homines regit: Pater,  
quia vt filios amat: septimū  
vero nomen quod est, Omne  
bonum, nullam ad creaturas  
habet relationem, sed solum  
bonum quod in Deo est, no-  
bis prædicat: thesauros incō-  
prehensibilis scientiæ & po-  
tentia quibus repletur, inac-  
cessibilem lucem, quam in-  
habitat, gloriam qua fruitur,  
aperit. Vocamus autem Deū,  
omne bonum, eo quod solus  
Deus est bonum essentialē,  
& ipsa essentialis & fontana  
bonitas, ex qua omne bonū

creatum sumpsit exordium & suum esse : & sine quo nihil esse vel perseverare potest : vnde vocatur Deus. Iehouah. quod Caiet, & alij interpretantur fontem essendi: quod nomen manifestavit Deus Moyſi quando interrogatus à Moysse, quod esset nomen eius, dixit. Ego sum qui sum: & iterum sic dices Hebræis qui est, misit me ad vos.

Cōsidera ergo anima mea quod hoc prope immensum, bonum, magnitudinum, multitudinum, pulchritudinum, plenitudinum, operationum, & ordinum, quod in rebus  
crea

creatis diffusum cernis, tam  
cælestibus, quam terrestibus;  
tam simplicibus, quam mix-  
tis, tam sensibilibus quam ra-  
tionalibus; in numero ponde-  
re, & mensura fabricatum:  
per quod sapientiæ bonitatis  
& potentiæ nobis relucet in-  
finita maiestas: totum ab ipsa  
fontana bonitate participatū  
& communicatum prouenit:  
nullam tamen cum ipsa ha-  
bens proportionem, sicut fi-  
nitū cum infinito tota enim  
hæc creata bonitas; quidam  
tantum radius increatæ lucis  
est.

Dillata igitur anima mea

44 *Speculum primum.*

os tuum, & impleberis, & satiaberis, totum enim illud, essentialiale ens, bonum, verum, perfectum, infinitum, incommutabile, incomprehensibile, æternum tibi pijsimus & amantissimus Pater seruat: tibi immortalitatem & impassibilitatem: tibi splendorem, & pulchritudinem; tibi scientiæ & sapientiæ thesauros: tibi diuitiarum & potentiarum abissos: tibi pacis, & voluptatis torrentes: tibi inexhaustū gloriæ pelagus thesaurizat.

Benedic ergo anima mea Domino, & omnia quæ intra  
me

*Speculum primum.* 45

me sunt nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

# CONSIDERATIO

*in secundum speculum  
quod est redemp-  
tionis.*



**CREATOR** mū  
di Deus, ante  
mundi consti-  
tutionem, Vni-  
genitum Filium  
suum, in tempore hominem  
fieri volens, vt humanam ex-  
altaret naturam, eamque di-  
uinam redderet; & in ligno  
crucis sanguinem fundere, &  
mortem subire; vt hominem  
per;

perditum ~~re~~meret, & ad  
viam vitæ reuocaret: decer-  
nensque æternæ, cælestisque  
beatitudinis præmium, non  
sine pretio homini offerre:  
sed pro viribus, laborantem  
& militantem remunerare  
cum omnis homo in peccatis  
natus esset, & sine speciali do-  
no gratiæ Dei nullus posset  
saluari: misertus hominis cæ-  
lestis Pater legem posuit cir-  
ca ea, quæ ad iustificationem  
impij erant necessaria: offerens  
scilicet ex parte Dei gratiam  
sufficientem, & auxilium præ-  
ueniens, & concomitans ad  
bene operandum, quod auxi-  
lium

48 *Speculum secundum.*

lium nunquam nomini deficeret ( est autem gratia hæc præueniens, inspiratio Spiritus Sancti, pulsans ostium nostri intellectus illuminando, & ostium voluntatis mouendo, vt homo à creatura ad Creatorem conuertatur. )  
Deinde præcipiens ex parte hominis consensum & cooperationem nostræ voluntatis, cum diuina inspiratione: quibus duobus concurrentibus iustitiam peccator consequeretur. Priorem partem, quæ ex Deo est, pertinere dicimus ad redemptionem: posteriorem quæ à nostra pendet

de c

det voluntate ad iustificatio-  
nem.

Quo ad priorem habes ani-  
ma mea, quæ consideres qua-  
tuor nomina Dei tui : quæ  
sunt, Redemptor, Sanctifica-  
tor, Magister, Dux; per quæ  
possis comprehendere cum  
omnibus Sanctis, quæ sit lati-  
tudo, & longitudo sublimi-  
tas & profundum superemi-  
nentis, charitatis Dei: & tam  
ardentis amoris igne succen-  
sa in perpetua, tam incompre-  
hensibilis beneficij gratiarum  
actione manere, & in hoc  
perseuerare vsque ad aduen-  
tum magni Iudicis, vt ab eo

D

icinu-

50 *Speculum secundum.*

remunerari mereatis. Ad hæc autem quatuor Redemptoris nomina reduci possunt in numerum alia quæ prædixerunt Prophetæ de Christo Domino.

*De Primo nomine Dei Salvatoris, quod est, Redemptor.*

**C**VM in malis iaceret, vel etiam volueretur: & de malis, in mala præcipitaretur totius humani generis massa damnata: adiunctaque parti eorum, qui peccauerunt Angelo-

gelorum, luceret impiæ defertionis dignissimas pœnas; nec in tota humana propagine inueniretur meritum, quo iusta fieret Deo pro hominis peccato, satisfactio: clamante & pro hominis remedio vociferante, misericordia Dei: opus fuit secreti dispensatione consilij, vt scilicet vnigenitus Filius Dei, à paterna gloria non recedens, de cælesti sede descenderet: nouo ordine, noua natiuitate generatus: impassibilisque Deus, homo fieret passibilis: & immortalis mortis legibus subiaceret: vt sic morte mediatoris, Dei, & ho

52 *Speculum secundum.*

minis intercedente, integra  
iustitiæ Dei pro totius mun-  
di delictis fieret satisfactio.  
Ita à Deo ab æterno decretū,  
& dispositum: ita in tempore  
per Prophetas prænūtiatum:  
ita cum venit plenitudo tem-  
poris completum fuit: vt per  
orbem terrarum sancta confi-  
tetur Ecclesia, Sanctorum  
Prophetarum oraculis funda-  
ta: diuinis miraculis munita:  
Iudaici populi reprobatione  
attestata: mundi conuersione  
declarata: cælesti euangelicæ  
legis tuba proclamata: viuifi-  
co Martyrum sanguine stabi-  
lita & irrefragabilibus alijs  
telli-

testimonijs roborata.

Appellamus igitur Christum Dominum Redemptorem eo, quod ipse à peccatis nostris pretio sanguinis sui nos redemit erutoque de potestate tenebrarum in admirabile lumen suum nos transtulit.

Considera nunc anima mea misericordiam, quam in tanto dono à Deo tuo accepisti: attende ad amorem cælestis Patris, qui sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat sed habeat vitam æternam. Si ergo cum

54 *Speculum secundum.*

peccatores & inimici essemus  
proprio Filio suo nō pepercit  
Deus sed pro nobis omnibus  
tradidit illum, quanto magis  
nunc reconciliati in sanguine  
ipsius, salui erimus, & omnia  
nobis donabit? Dilige igitur  
anima mea Deum tuum mag  
num Redemptorem tuum, &  
nunquam diebus neque no  
ctibus ab illius amore, & lau  
dibus cesses: & cum omnia  
feceris, in tam inestimabili  
debito nihil te fecisse.

estima.

*De secundo nomine Dei Redemptoris, quod est, Sanctificator.*

**A**ppellamos Redemptorem mundi, Sanctificatorem : quod cum essemus mortui in peccatis nostris : nullumque in nobis esset, nec esse posset meritum, quo a statu damnationis resurgere possemur: propter suam magnam misericordiam regeneravit nos Deus in morte unigeniti Filij sui : delens, quod adversum nos erat chiographum dam-

56 *Speculum secundum.*

nationis, in sanguine suo: & affigens illud cruci; infinitum suæ mortis meritum in nos transtulit: nosque in eo à peccatis nostris emundans, suamque gratiam in corda nostra diffundens: nos per suum diuinum Spiritum sanctificat: si nos nostris peccatis & concupiscentijs obicem diuinæ gratiæ non ponimus. Cum enim Deus, in manu arbitrij & consilij nostri nos reliquerit: vitam nobis beatam pro mandatorum obseruatione promittens: & æternum ignis cruciatum pro culpa: auxiliũ nobis suum ad pugnam &

certamen offerendo: qua par  
ta victoria, omnis nostra perf  
citur sanctificatio: si nos no  
stris obcæcati desiderijs & in  
reprobum sensum traditi, dex  
trum amittentes iter, læuum  
perditionis tenemus: quid no  
bis prodesse potest ad nostrã  
emundationem pretiosissimi  
sanguinis pro nobis effusi me  
ritum? Ut quid enim iustum  
nobis prædicant Scripturæ Sa  
cræ Deum, iniustos, auaros,  
immundos, inuidos, dolo &  
nequitia plenos, idololatrias,  
Dei cõtemptores & reliquos  
scelestos æterno supplicio pu  
niendo: nisi vt intelligamus  
quia

58 *Speculum secundum.*

quia Deus lux est, & tenebræ  
in eo non sunt ullæ: & vt iu-  
stus iustitias diligit & æquita-  
tem videt vultus eius: similis  
enim naturaliter, similem sibi  
diligit: Quanto magis Deus  
omnis virtutis & perfectionis  
prima regula & exemplaris  
causa diligit rectos: impius  
autem & impietas vtrumque  
abominatio est apud illum.

Quare anima mea, si glo-  
riam, si beatitudinem, si cæle-  
stes diuitias, Domini Dei tui  
assequi desideras oportet vt  
sis imitatrix Dei vt filia cha-  
rissima, ad sanctitatem & per-  
fectionem omnibus tuis viri-  
bus.

bus tendas, puram conscientiam sine offendiculo serues.

*De tertio nomine Dei Redemptoris, quod est, Magister.*

**S**Icut humanum genus vnũ tantum habuit Redemptorem, qui illud magno pretio sui sanguinis à peccato redimeret: ita vnum tantum habuit Magistrum qui illud sua diuina sapientia illuminaret: quod abundanter fecit Christus Dominus sui sanctissimi Euangelij doctrina: iuxta quod,

60 *Speculum secundum.*

quod à Prophetis fuerat prædictum. Hæc autem ea continet, quæ tum ad sapientiam, tum ad iustitiam spectât, quæ sufficientia sunt ad perficiendum: sapientia, vt D. August. ostendit, circa virtutes Theologicas versatur: Fidem, Sp̄s, & Charitatem: quæ & diuinitus infunduntur, & cum in hac vita pure, maximeque excoluntur, beatos homines diuinofque reddunt. Iustitia vero duabus partibus absoluitur: declinatione à malo, & boni operatione. Ex his duobus fontibus, sapientiæ scilicet, & iustitiæ cætera deriuantur,

tur, quæ Christianæ, seu perfectæ institutioni conueniunt.

Confer nunc anima mea cælestem hanc doctrinam cū doctrinis philosophorum, & omnium mundi sapientum, tam Græcorum, quam Romanorum, quam etiam aliarum gentium: videbis hanc inter alias ita excellere, quantum lenta solent inter viburna cupressi; & quantum Sol inter Stellæ. De maximis enim virtutibus nihil in magnis philosophis inuenies. Diuinam fidem, cælestem Spem, Dei Charitatem, Sacramenta diuina, spiritualium morborum remedia

62 *Speculum secundum.*

media & amota nec à longe aspexerunt: orationem & ad Deum preces, zelum honoris Dei & animarum salutis, inimicorum dilectionem nō nouerunt: originale peccatū in cuius cognitione totius veræ Theologiæ vertitur cardo, nec somniauerunt: perfectam animarum beatitudinem corporum gloriosam Resurrectionem, nec auditu audierūt.

Lauda igitur Hierusalem ciuitas supræmi Regis.

Ecclesia sancta Dei lauda Dominum Deum tuum.

Qui posuit fines tuos pacem & lucem. Benedixit filijs

lijs tuis in te. ~~quod~~

Incerta & occulta sapientie suæ manifestans & reuelans paruulis suis.

Abscondensque ea á sapientibus & prudentibus huius seculi.

Quoniam beneplacitum fuit Domino in populo suo.

*De quarto Dei Redemptoris nomine, quod est,*

*Dux.*

**A**ppellamus denique Redemptorem mundi, Duce[m]: considerantes illum, sua  
san-

64 *Speculum secundum.*

sanctissima, ~~et~~ innocentissima  
vita, omnium virtutum splen-  
dore ornata, ad caelestem  
patriam nos direxisse; viam  
caeli, quae antea habebatur ig-  
nota, nobis demonstrasse.  
Notas enim nobis fecit vias  
vitae, cum nos docuit pauper-  
tatem, mundi & deliciarum  
contemptum, Charitatem,  
Mansuetudinem, Misericor-  
diam, Iustitiam, Castitatem  
& Pacientiam: his enim itine-  
ribus peruenitur ad vitam:  
non satis est Magistro doce-  
re, si ea quae docet opere non  
implet; si enim linguis homi-  
num loquar aut Angelorum:  
&

& quæ præuicō <sup>non</sup> operor,  
factus sum sicut æsonās aut  
cymbalum tinniens: quales in  
ter Iudæos erant Scribæ &  
Pharisæi, de quibus Redemp-  
tor nobis præcipit dicens. Fa-  
cite quæ vobis dicunt: secun-  
dum vero opera eorum noli-  
te facere; & quales apud Græ-  
cos & Romanos philosophi,  
de quibus Apostolus ait. Cū  
cognouissent Deum, nō sicut  
Deum glorificauerunt, sed ob-  
scuratum est insipiens cor eo-  
rum, & dicentes, se esse sapiē-  
tes stulti facti sunt. Noster ve-  
ro Iesus, verus mundi Redem-  
ptor, verus mundi Magister,

E

non

66 *Speculum secundum.*

non nomine tantam, sed re;  
doctrinam quam docuit, ope  
re adimpleuit; & factus for-  
ma sui gregis, in omnibus ar-  
duis, verus Dux coram popu-  
lo suo graditur; prius faciens  
postea docens: & semitas no-  
bis, in omnibus suis actibus,  
manifestans ad vitam. Quis  
viquam anima mea tale  
audiuit, quale nos in Iesu vi-  
demus? Quis mundi fastum,  
& delicias adeo contempsit?  
Paupertatem, & labores sic  
coluit? Domine audiui audi-  
tum tuum, & timui: conside-  
raui opera tua, & expaui. Do-  
minus Cæli & terræ, nasceris  
in

in præsepio: quem terra, pon-  
tus ætera, colunt, adorant,  
prædicant: iaces in stabulo! in  
medio duorum animalium!  
Quis vnquam anima mea ta-  
le audiuit quale nos in Iesu  
videmus? Egenus & pauper  
& in laboribus omnem vitã  
transigis; cum iniquis reputa-  
tus, ligno crucis affigeris, cū  
dolore & lachrymis vitam  
tuam finis: Quis vnquam ani-  
ma mea tale audiuit quale  
nos in Iesu videmus? In vitæ  
& morum puritate, Solis radij  
coram te obscurantur, Luna  
non dat lumen suum, & in  
conspectu tuo mundæ non  
E 2 sunt,

68 *Speculum secundum?*  
sunt Stellæ : patiens, mitis, &  
humilis corde, super omnes  
filios hominum; qui cum ma-  
lediceretis, non maledicebas;  
orabas autem pro persecuen-  
tibus & calumniantibus te :  
& tradebas animam tuam in  
manus inimicorum, vt inimi-  
cos tuos saluos faceres. Cibās  
ipse verus & diuinus Pelica-  
nus filios tuos pretioso sangui-  
ne tuo ; & sanctis carnibus  
tuis super cælestem vitam il-  
lis largiens . Quis vnquam  
anima mea tale audiuit, qua-  
le nos in Iesu videmus?

Lauda igitur anima mea  
Dominum.

Lau

Laudabo Deum in vita  
mea.

Pfallam Deo meo quan-  
diu fuero.

CONSIDERATIO  
in Tertium Speculum,  
quod est Iustifica-  
tionis.



VO ad secun-  
dam partē Iu-  
stificationis,  
quæ est ipse  
assensus nostræ  
voluntatis, cum gratia, seu

70 *Speculum tertium.*

inpirationis ordinæ, aduerte  
re oportet, quod sicut sine  
Dei voluntate nihil in hoc  
mundo fit, nec fieri potest,  
iuxta illud Deuteronomij.  
Ne dicas in corde tuo forti-  
tudo mea, & potentia manus  
meæ fecit mihi virtutem hâc  
magnam; sed memoraberis  
Domini Dei tui: quia ipse tibi  
dat fortitudinem, & facere  
virtutem: sic & multo magis  
in iustificatione impij, nihil  
sine Dei voluntate fit. Cum  
enim omne datum optimum  
& omne donum perfectum  
desurfum sit, descendens à  
Patre luminum, & nos non  
simus

simus sufficientes cogitare aliquid à nobis tamquam ex nobis; sed omnis sufficientia nostra ex Deo sit : manifeste apparet , quod iustificatio nostra, quæ est finis summitas & apex omnis Christianæ institutionis, non à nobis, sed à Deo inspirante & adiuvante nobis provenit. Cum tamen Deus disposuerit iustificationem adulatorum non sine illorum assensu fieri: clarum est, quod in iustificatione nostra aliquid ex nostra parte interuenit, quod in nostra potestate sit. Ita quod sine nobis non fieret, & libere consentientibus, &

72 *Speculum tertium.*

cooperantibus nobis fit; cum  
tamen etiam hoc ex gratia di  
uina nobis proueniat.

Et quo ad hanc partem ha  
bes anima mea septem nomi  
na consideranda quæ tribuis  
Redemptori tuo, vt causanti  
& realiter efficienti ipsam iu  
stificationem. Hæc sunt Spes  
refugium, Fortitudo, Charita  
tas, Iustitia, Pax, Gaudium.  
Sed ante alia aduertendum  
est, quod hæc nomina non di  
cuntur de Deo hominum Re  
demptore secundum virtutes  
quæ essentialiter in Deo in  
sunt : secundum quas Deus  
est Charitas, Iustitia, Pax, &  
alia;

alia; sed secundum virtutes,  
quas per gratiam & donum  
sui Sancti Spiritus operatur  
iniustus.

*De primis tribus nominibus  
Dei iustificatoris, quæ sunt  
Spes, Refugium, For-  
tissudo.*

**C** V M primum & præ-  
cipuum fundamentum  
nostræ iustificationis, sit mise-  
ricordia Dei, qui nullis præ-  
ceden

74 *Speculum tertium.*

cedentibus meritis ex parte hominis propter nimiam charitatem suam qua nos dilexit; nos elegit, & sanguine suo voluit redimere, & saluare: liquido apparet, quod inanis est omnis spes nostra: quæ in bonitate, & Charitate Dei non nittitur. Quare hæc priora tria nomina, Spes, Refugium, Fortitudo, supereminentem Dei charitatem superexaltât: Spes enim misericordiam, Refugiũ clementiam, Fortitudo benignitatem prædicat: Peccatorẽ namque in infimo peccati statu positum mera misericordia Dei in illum respicientis, erigit:

git: erectum clementia prote-  
gir: protectum benignitas Dei  
confortat. Quæ omnia vnã  
Dei gratiam prædicant, & ha-  
bent eandem causam, quæ so-  
la est misericordia Dei: prin-  
cipium augmentum & con-  
sumatio totius nostræ iustifi-  
cationis & perfectionis.

*De quarto nomine Dei iu-  
stificatoris, quod est,  
Charitas.*

**C**Hristifer Ignatius vt de  
eo refert Diuinus Areo-  
pagita, amore Christi incen-  
sus

78 *Speculum tertium.*

sus clamabat. Amor meus cruci affixus est. Id est, ille bonus Iesus quem ego ardēter amo, amore mei languens crucem pro me subire voluit. Huius ergo amoris quem in electis cordibus Christi gratia pullulare facit: non illius, qui essentialiter in Deo, inest, Deum hic appellamus Charitatem. Fidelis sermo anima mea, & omni acceptione dignus, quoniam sic Deus dilexit mundū vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam: & item quoniam Christus Iesus venit in mun

mundum peccatores saluos  
facere, quorum primus ego  
sum: & item quod in quacūq,  
hora siue momento peccator  
ad Deum vere ingemit, & cō  
uertitur cum proposito am  
plius non peccandi, vere gra  
tiam & amicitiam Dei conse  
quitur, & incipit esse iustus,  
ex seruitute diaboli in liberta  
tem filiorum Dei translatus:  
ita quod verē deinceps potest  
dicere dum in gratia perma  
net: reposita est mihi corona  
iustitiæ, quam reddat mihi Do  
minus iustus Iudex: & simul  
cum gratia omnes virtutes,  
quæ sunt necessariae ad adipis  
cen-

cendam gratiam, illi per Spiritum Sanctum infunduntur. Est autem gratia, qualitas, residens in tota animæ essentia, quæ hominem gratum Deo facit. Charitas vero tantum in quadam animæ potentia, quæ est voluntas, quam rectificat, & perficit: vna autem sine altera esse non potest, nec gratia sine Charitate, nec Charitas sine gratia inuenitur. Qui enim vere diligit Deum, diligitur ab eo, & mansionem apud illum facit, & gratus charusque Deo est.

Quid agis anima? Quid cogitas anima? Finis venit! venit  
finis

finis! finitum ~~est~~ <sup>est</sup> spatium pæ-  
nitentiæ; appropinquat hora  
sententiæ: ecce vox! ecce tu-  
ba! accede ad Tribunal! sta in  
judicio! auditura sententiã, vel  
damnationis æternæ pro cul-  
pa concupiscentiæ; vel æter-  
næ beatitudinis pro merito  
Charitatis: effunde lachrimas  
misera; æde ploratus: curre  
ad pedes dulcissimi Iesu pro  
te in cruce affixi: adhuc enim  
tēpus miserendi: dum è cor-  
pore non existi: pro certo ha-  
bēs quod ipse pijsimus & amā-  
tissimus Pater cito tibi occur-  
ret, & procumbens super col-  
lum tuum te osculabitur, &  
stolla

80 *Speculum Tertium.*

stolla noua immortalitatis &  
gloriæ te inducet, si vere pæni  
tens accedas: festina igitur ad  
lachrimas! ede ploratus: in  
hac hora: in hoc momento:  
fortè enim hoc est vltimum  
vnde pendet æternitas tua.

*De vltimis tribus nominibus  
Dei iustificatoris, quæ  
sunt Iustitia, Pax,  
Gaudium.*

**H**ÆC tria nomina quæ se-  
quuntur, Iustitia, Pax,  
Gaudium quibus Deum ho-

noramus, & ipsam inuocamus  
quatenus causantem in iustis  
has virtutes per spiritum suum;  
vocat Apostolus fructus spi-  
ritus. Verè enim sunt; sicut au-  
tem manifesta sunt opera car-  
nis, quæ sunt luxuria, auaritia,  
superbia, contentiones, inui-  
dia, iræ, blasphemæ, idola-  
triæ, & alia similia: sic mani-  
festa sunt opera spiritus, quæ  
sunt Castitas, Liberalitas, Hu-  
militas, Mâsuetudo, Religio,  
Amor erga proximum, & alia  
quæ nominare possumus tam-  
quam odoriferos, & suaues  
spiritus flores. Inter hos autè  
spirituales partus, quasi alijs  
E supe-

82 *Speculum tertium.*

Superiores & excellentiores,  
fructus spiritus appellamus  
Iustitiam, Pacem, Gaudium;  
hæ enim virtutes possidētem  
illas rectificant tranquillat,  
delectant. Quibus seruatis ad  
venit in nos Regnum Dei, &  
fit in nobis voluntas Dei si-  
cut fit in celo: quemadmodū  
in oratione Dominica peti-  
mus: & hoc est diuinum illud  
Regnum de quo Redemp-  
tor mundi dixit: pænitentiam  
agite, & appropinquabit Reg-  
num celorum, & iterum Reg-  
num Dei intra vos est. Si  
enim intra nose est, quod aliud  
est nisi Iustitia, Pax, Gaudiū?

Sic

Sic enim Deus regnat iniustus  
per gratiam illos iustificantiē,  
per iustitiam illos pacifican-  
tem, per pacem illos oblectā-  
tem : que quidē sunt umbra  
futuræ, beatissimæq; & super  
cælestis gloriæ; qua Deus  
perfectè in cælis re-  
munerat ele-  
ctos.

CONSIDERATIO  
 in vltimum Speculum  
 quod est Glorifi-  
 cationis.



Ost certamen  
 laborum sequi-  
 tur corona pre-  
 miorum, qua  
 largitur Deus  
 omnibus, qui  
 in illo spem suam habuerunt.  
 Et cum Deus ita sit superad-  
 mirabilis, ita super gloriosus,  
 ita incomprehensibilis, ita su-  
 peressentialis, vt in hoc mun-  
 diali

diali speculo videmus: & homo ita diuinus, & admirabilis, vt diuinæ confors naturæ, visibilisque & inuisibilis mundi nexus, & orizon: & peccatum, & offensa in Deum, commissæ, adeo formidabilis, vt propter illam Deum carnem summere, & crucem subire fuerit conueniens: & Deo credere, cum Deo ambulare, & Deo obedire, ita diuinum; vt nihil in humanis actibus cum hoc possit comparari: restat vt super admirabile, & super diuinum sit etiam præmium, & incomprehensibilis gloria, qua Deus milites suos remun-

## 86. *Speculum ultimum.*

neret. Quod fit tam ratione  
spiritualis obiecti increati ani-  
mæ, quod est ipse Deus: in  
quo consistit gloria essentia-  
lis ipsius animæ: ex qua, cum  
fit ex se infinita, necessario  
prouenit corpori maxima glo-  
ria accidētalis: quam ratione  
obiectorum creatorum qui-  
bus beati fruuntur, quæ sunt  
innumera & perfectissima:  
quam etiam ratione loci in  
quo datur beatis complemen-  
tum totius desiderabilis ad  
extra.

Circa hæc autem habes  
anima mea quatuor nomina  
Dei glorificationis quæ consi-  
deras:

deres: quæ sunt remunerator,  
vita, gloria, satietas.

*De primo nomine Dei Glo-  
rificarioris, quod est, Re-  
munerator.*

**I** Oquēs Deus cum anima  
— fideli, ait illi: Ambula co-  
ram me, & esto perfecta; ego  
protektor tuus, & merces tua  
magna nimis: in quibus ver-  
bis fideles suos, qui coram il-  
lo ambulant, & Dei imitato-  
res esse satagunt, de magnitu-  
dine præmij, qua à Domino  
remunerandi sunt; securos fa-

cit: igitur merces & præmium  
 electorum ( quod est Deus )  
 consistit in visione & fruitio-  
 ne Dei. Et quia Deus substan-  
 tia est spiritualissima , omni  
 carens materialitate & com-  
 positione, infinitam in se ha-  
 bens perfectionem & virtua-  
 litatem; restat vt visio hæc bea-  
 torum per actum intellectus  
 sit & fruitio, per actum volū-  
 tatis. Videndo quippe beati  
 illud increatum bonum ; in-  
 exhaustum pelagus omnium  
 creaturarum pulchritudinum,  
 diuitiarum, virtutum, suauita-  
 tem, delectationum, pacis,  
 gloriæ & satietatis: non pos-  
 sunt

sunt non illius amore ardentissimè vniri, inflamari, liquefieri, transformari, & glorificari. Hæc autem visio & fruitio non in loco, non in tēpore fit: sed sicuti Deus ante mundi constitutionem in seipso superpotens & superbeatur erat: extra locum, extra tēpus: ita nunc spiritus qui ad Deum ascendere digni habiti sunt, extra locum, extra tēpus ad Deum ingrediuntur: vbi æternis pascuis ipius diuinitatis inuentis, manà abscondito, inefabili pleno dulcedine fruuntur: vnumque cum ipsa diuinitate cffecti, simi-

90 *Speculum vltimum.*

similes ei sunt in gloria & beatitudine: estque Deus omnia in omnibus. O Deus! O vita! O patria! Si veniam & apparebo ante faciem Dei! Ex hac clara Dei visione, vera & reali summi boni, summè desiderabilis, summè delectabilis apprehensione, possessione, fruitione: qua animæ beatorum perficiuntur: prouenit & resultat in corporibus illorum, talis gloria, quali decet ornari & supervestiri corpora in quibus participatiuè inhabitat plenitudo diuinitatis. Ornantur igitur immortalitate, agilitate, subtilitate & claritate: quibꝰ

*Speculare ultimum. 91*

quibus dotibus prædita, perfecte spiritualia redduntur: non quod naturam amiserint materiales, sed quia perfectionem supernaturalem & gloriosam suarum qualitatũ superinduerint: qua spiritibus in omnibus ad nutum obedientia fiunt. Cõsidera igitur anima mea lilia campi & flores agri quomodo non laborant neque nent: & nec Salomon in omni gloria sua cooperatus erat, sicut vnã ex illis. Si ergo fœnum agri quod hodie est, & cras in elibanum mittitur Deus sic vestit: qua gloria tempore præmiorum ditabit,

ditabit, exornabit, coronabit  
 filios ab æterno electos, in æ-  
 ternum dilectos, sibi similes:  
 & vt cum iplo in æternum in  
 cælis regnent prædestinatos.  
 O Deus! O vita! O patria!  
 obliuiscatur mei dextera mea  
 si non meminero tui! si non  
 proposuero Hierusalem in  
 principio lætitiæ meæ!

Porro ratione corporum  
 beatarum creauit Deus impi-  
 reum cælum: vt in illo beati  
 coronam laborum suorum con-  
 sequerentur. Spiritus enim  
 angelici, & electorum ani-  
 mæ, extra locum, extra tem-  
 pus, cum Deo communican-  
 tes,

tes, & Deo fruētes (in quo actu illorum essentialis beatitudo consistit) non propriè sede locali, & corporeā indigent: corpora vero beatorum maximè, & in illis verè adimpletur, quod Christus Dominus se dicturum electis in die iudicij pollicitus est, illis verbis. Venite benedicti Patris mei, accipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Et hac de causa cum Deus creasset reliquas cælorū sphaeras, circulares, mobiles, & volubiles, vt generationi & corruptioni seruituras: hanc supramam in quadro positā, nullis

94 *Speculum vltimum.*

nullis aptam motibus vel circulis condidit: tantam habentem latitudinem, quantam & altitudinem & longitudinem: cuius mensura, ipsa immensitas est, nullis finita spatijs: cuius pavimentum, beatorum pedibus substratum, aurum mundum, simile vitio mundo; saphiris, smaragdis, berillis, topazijs, hiacintis, & mille alijs pretiosissimis margaritis, mirum in modum, arte, & sculprura elaboratis, ornatū. Si enim Deus pessimos & ingratos homines, auri, & argenti, & pretiosorum lapidum thesauris replet in hac mise-

ra vita : quid putas facturum  
est in æterna vita, ijs qui toto  
cæde Deo adhæserant, & illū  
totis viribus dilexerunt? O  
Deus! O vita! O patria! Ad-  
hæreat lingua mea faucibus  
meis si non meminero tui!

Regio hæc non indiget  
Sole neque Luna : nam in se  
tota lucida adeo est, vt septē-  
plici Solis lumine sit splendi-  
dior: claritas enim Dei illumi-  
nat illam, & lucerna eius est  
agnus. Omnes in hoc beatif-  
simo Regno Reges sunt, co-  
ronam decoris accipiunt de  
manu Domini, expressam sig-  
no sanctitatis, gloriæ, & ho-  
noris

noris: & qui minus accipit,  
quinq; ciuitates accipit. Om-  
nes diuina & humana scien-  
tia ita præditi, vt nihil illis in  
rebus creatis nihil in immenso  
increatae Essentiæ pelago, se-  
cundum scientiam visionis  
absconditum sit. Ita omnia  
Charitas Dei ordinauit & cõ-  
posuit, vt omnes Deum ardẽ-  
tius & efficacius quam seip-  
sos diligant: & cum propè in-  
finitus sit beatorũ numerus:  
singuli proximos suos, sicut  
seiplos amant: numquamque  
ab illorum amore repellant.  
Sic exultationes Dei semper  
sunt in gutture eorum & per-  
petuò

<sup>Quoniam</sup>  
petuò alleluia auditur, in fau-  
cibus eorum, & in ore omniũ  
semper dulcis resonat sonus.  
Ecce anima mea tabernaculũ  
Dei cum hominibus, & ipsi  
populus eius sunt: & dii in  
Deo, & omnia in illo: & ipse  
Deus in medio eorum, est il-  
lorum Deus; abstergitque om-  
nem lachrimam ab oculis eo-  
rum: & mors ultra non erit,  
neque dolor erit ultra: quæ  
prima abierunt. Et dixit sedẽs  
in inaccessiblei diuinitatis tro-  
no. Ecce noua facio omnia:  
quæ nec oculus vidit, nec au-  
tis audiuit, nec in cor homi-  
nis ascenderunt. Venite char-

G. iissimũ

rissimiam ad nuptias: quia vene-  
 runt nuptiæ agni. O Deus!  
 O vita! O patria! Gloriosa di-  
 cta sunt de te ciuitas Dei!  
 Dominus narrauit in scriptu-  
 ris Prophetarum & Apostolo-  
 rum quia letantium omnium  
 habitatio est in te: quorum  
 participatio eius in idipsum:  
 participatio ipsius summi &  
 infiniti boni: desinens in ip-  
 sum summum & infinitum  
 bonum: ab ipso dimanzans in  
 ipso sine fine cursum feliciter  
 finiens; vt omnium rerum princi-  
 pio & fine. Gloriosum Regnum  
 in quod omnes intrantes im-  
 menso illi, & æterno volupta-  
 tis

tis & gaudij Domini sui,  
pelago os apponunt!

*De secundo nomine Dei Glo  
rificationis, quod est,  
Vita.*

**D**Einde appellamus Deū,  
Vitam: tum quia Deus  
est ipsa æterna & increata vi-  
ta, quæ antequam mundus  
esset, semper in seipsa erat, su-  
per beata, superpotens: seipsa  
contenta, nullius indigens:  
tum quia quando sibi expe-  
diens visum fuit, Orbem ter-  
rarum de nihilo produxit:  
cunctis animantibus vitam tri-

100. *Speculum vltimum.*

buens: & cum <sup>nuptis</sup> cæterorum ani-  
mantium animas ex ipsius ma-  
teriæ potētia educeret: vitam  
illis donans mortalem: animã  
hominis non de materia: sed  
immediate, de omnipotentia  
suæ thesauro produxit spiri-  
tualem condens substantiam  
& naturam, rationalem, sibi  
similem: & vt immaterialem,  
immortalem, & tempori &  
corruptioni non obnoxiam.  
Licet autem propter maximã  
vniorem quam Deus inter  
corpus & animam constituit  
corpus quod corrumpitur ag-  
grauet animam: animus tamẽ  
ex sua natura immaterialis &  
diui-

diuinus, affectuum laqueos  
rumpens: vt ignis natura sua  
surtum se fert: ad Deum ire,  
& in Deo tantum quiescere  
contendit.

Et sicut æterna & increata  
Dei Vita hæc est vt Pater cog  
noscat Filium quem genuit,  
& Spiritum diligat quem pro  
ducit: & se in Filio infinite  
gloriosum & perfectum ag  
nosens, infinite se amet: ita  
vita æterna beatorum & es  
sentialis illorum beatitudo  
hæc est, vt cognoscant & con  
templentur diuinam. Essen  
tiam: & cognoscendo diuinas  
Personas, illarum beatifica

visione & amore perfruantur.

Vltimo appellamus Deum Glorificatorem, Vitam: quia mortua corpora beatorum, in aeternum in caelis victura resuscitat.

*De tertio nomine Dei Glorificatoris, quod est,  
Gloria.*

**T**ertio loco appellamus Deum, gloriam: tum quia Deus omnem in se habens gloriam & beatitudinē, illam communicat Filio, & Spi.

Spiritui Sancto: tum quia electorum suorum corda amoris sui dulcedine irrorans, & lucis suæ splendore irradians, illos beat & glorificat: reformans corpus humilitatis nostræ cōfiguratum corpori claritatis suæ: similes nos sibi faciens, suæque diuinæ naturæ consortes: pro momentaneo hoc & leui tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus, electis suis in cælis largiens: & torrente voluptatis suæ, eos in æternum potans, & inebrians.

*De quarto & ultimo nomi-  
ne Dei Glorificatoris,  
quod est, Sati-  
etas.*


**V**Ltimo loco appellamus  
Deum, Satietaem: eo  
quod ipse electos suos ex om-  
ni parte reficiat: omnem ani-  
mę capacitatem replens: suiq;  
pręsentia omni illam priuans,  
amaritudine: omnemque eius  
sitim & desiderium in æternũ  
fatians! Cum enim Deus nos  
ad se fecerit: & anima nostra  
ad ipsum increatum & infi-  
nitum

nitum bonum quod est Deus  
creara sit: iure nihil ei creatũ  
sufficit: & inquietum est cor  
nostrum donec perueniamus  
ad illud. Et hac de causa Deũ  
appellauerunt antiqui Patres.  
Sadai, quod propriè significat  
sufficiẽtiam. Quasi nihil in  
rebus creatis sit quod animo  
sit sufficiẽs nostro, cum illius  
ambitum sola Dei infinitas  
sit potens replere.

Quis sapiens & custodiet  
hæc: & intelliget & exaltabit:  
& misericordias Domini  
in æternum can-  
tabit.

# I N D E X

## CAPITVM.



*Incendium Ani-*  
*mae. cap. I. fol.*

*I.*

*Quadruplex anima specu-*  
*lum. fol. 6.*

*Speculum creationis. fol. 7.*

*Speculum Redēptionis. fol. 11*

*Speculum iustificationis. fol.*

*12.*

*Speculum glorificationis.*

*fol. 13.*

*Spe-*

# Index

- Speculatio quadruplicis anime speculi, fol. 15
- Consideratio in primum speculum quod est creationis. fol. 18
- De primo nomine Dei creatoris, quod est, Deus. fol. 19
- De secundo nomine Dei creatoris, quod est, Dominus. fol. 22.
- De tertio nomine Dei creatoris, quod est, Conditor. fol. 26.
- De quarto nomine Dei creatoris

Index

toris, quod est, Conserva-  
tor. fol. 30.

De quinto nomine Dei crea-  
toris, quod est, Rex. fol.

35.

De sexto nomine Dei crea-  
toris, quod est, Pater. fol.  
36.

De septimo nomine Dei crea-  
toris, quod est, Omne bo-  
num. fol. 40.

Consideratio in secundum  
speculum, quod est, Re-  
demptionis. fol. 40.

De primo nomine Dei Sa-  
uatoris.





B

8

R